

SPECIMEN ACADEMICUM

OBSEERVATIONES QUASDAM DE HORDEI
IN BOREALIBUS TERRIS CULTI CITO
MATURESCENDI HABITU, ET IN RE
NOSTRA RUSTICA USU

SISTENS,

QUOD^o

CONSENSU AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTIT

Mag. CAROLUS REGIN. SAHLBERG,
Medic. Licent., Adj. Facult. Philos. Ord. & Inspector Musei,
Societ. Imper. Naturæ Studioſ. Moscovit. atque Societ. Imper.
Oecon. Fenn. Membrum,

RESPONDENTE.

JOHANNE ISAACO UTTER,
Satacundensi,

In Auditorio Philos. die XXI Junii MDCCCXVII,

h. a. m. s.



Præfatio.

Diversam animalium patriam perquirentes, horum alia arctioribus terræ plagis adstricta esse, alia autem ampliores ac latius excurrentes frequentare silvas camposque, alia denique, hominem fideliter comitantia, totum fere peragrare terrarum orbem, jam dudum peritiores observarunt Zoologi omnes (a). Neque alias in Vegetabilium regno constituendo leges sequuta est provida semperque sibi constans natura. Sunt enim plantæ quoque ita comparatæ, ut quædam illarum, limitibus definitis iisque per angustis circumscriptæ, ideoque cujus peregrini cunque climatis impatientislimæ, exiguum solummodo tractum occupare valeant, aliæ autem ad terras longioribus intervallis distantes & soli coelique natura diversissimas prorepentes, ibidem non vitam solum trahant, verum etiam ad luxuriam usque vigeant lætiusque florent, pars demum, ubique velut indigenæ, immensum terræ, quod oppositis interjacet polis, spatium per omnes zonas placide inceland. Quæ autem hæc omnia hac lege condidit, digestæ ac ordinavit, consummatisimam illam sapientiam atque infinitam bonitatem, quis nostrum

A

est

a) Conf. Specimen Zoologicæ Geographicæ, quadrupedum domicilia & migrationes sistens a ZIMMERMANN a 1778, Lugd, Batav, editum.

est qui maxima & admiratione & veneratione non prosequatur, imprimis cum oculis videat animoque comprehendat, iis tum animalium tum vegetabilium generibus, quæ maximum homini adferunt usum, tractabile illud ingeneratum esse ingenium, ut sub quovis fere cœlo & ali & colli possint? Qui enim v. c. instabilem nomadum agitare amat vitam, equo insidens, omnes terras usque a Lapponia & Canada ad extrema Africæ & Americæ promontoria peragrat, quæ illum alunt vestiuntque secum ducens boum, ovium caprarumque armenta, quorum fidissimi custodes vigiles sunt canes. Cui autem longi fastidia creant errores, fixas sibi ponit colonus fedes, atque gregum usu in suas utilitates converso, variorum frumentorum semina, undique terrarum conquista, agro, aut ligonibus rastrisque pastinato ac runcato, aut, jumentorum ope adhibita, aratro bene fulcato mandat, donec tame depulsa plurium plantarum, quæ savitatem sensus titillant, ordinibus suos circumdat campos & ornat. Spes quidem saepius illum fecellit, qui primus exoticas coluit herbas: haud raro in calidæ æque ac frigidæ terræ gremio jam extincta fuit e geminorum axium regionibus ad meridionales terras, aut ex his ad loca sub polis sita, multo cum labore transpositi semenis vis, & si forte tenue protrudere valuit germen, mox torrido emarcuit sole, aut rigido torpuit frigore. At improbus labor omnia vincit, ac multa post experimenta illâ plantarum genera tandem invenit sedulus agrorum cultor, quæ cuique solo ac fiduci ita adsever fieri posunt, ut pingviorem humum, seiventissimos æstus continuamque æstatem, æque ac macriorem terram, horridam tempestatem ac gelidas pruinias sustinere valeant.

Sed quemadmodum hæc omnia, ut verissima, jamdudum confirmavit experientia, ita illa eadem nos quoque edocuit, climatum diversitatem maxima vi in illas plantas, quæ sub omni fere cœlo vivere possunt, velut in cætera corpora organica, agere. In lignite, nempe immutant & externam suam for-

formam & internam indolem in aliena loca transposita vegetabilia, nec haud raro, quo longius illa a primigeniis suis sedibus abire jussferis, eo etiam magis, nativa sua bonitate exuta, in pejus ruere videntur (a). Atque ut proprius ad instituti rationem veniamus, eandem mutationem frequentius subire Cerealium quoque munera permulta, primum omnium observasse juvat. Sic *Hordeum* in australioribus locis, unde originem dicit, satum, teretiora ac grandiora edit grana: quo altius vero septentrionem versus colitur, eo etiam magis vieta ac minuta producit semina. Neque ad maturitatem usque crescendi temporis spatio in omnibus locis æque longo opus habet hocce seminum genus: quin potius ab Oeconomis observatum est, illud eo citius post sationem maturescere, quo proprius a polo, qui illud ferre valet, cultus absit ager. Cum enim *Hordeum* in Japonia 120 (b) & in Gallia 120 (c) circiter dierum spatium, quo ad maturitatem perveniat, requirit, Fennia nostra spicas illius intra 90 aut 100, & Lapponia, mirabile dictu! intra 60, nec non interdum pauciorum, dierum noctiumque post factam sementem vicissitudines, jam jam plenas & ad terram nutantes videt. Qui frumentorum genera meliora reddere studuerunt Oeconomi nostri, *Hordeum* quoque e meridionalibus regionibus advehi curarunt & patriæ mandarunt terræ. At quamquam minus prospere succeslerunt

A 2

hæc

a) Observavit KALM, Acer saccharinum, quod in Canadæ silvis maxime celsis adnumeratur arboribus, in Pensylvaniana & Nova Jersey multo humiliorem crescere, Alnumque, quæ in septentrionalibus regionibus procera ascendit, ad Philadelphiam vix fruticis altitudinem assequi.

b) Vide: THUNBERGS Resa uti Europa, Africa, Asia &c. 4:de Del. p. 82.

c) Cfr. Utikast till en Växt Physiologie af RÆN, Övers. af OLIN, p. 266.

hæc conamina, id tamen comprobarunt, hordeum sub ardentiori sidere cretum vix ac ne vix quidem in gelidis nostris locis justam maturitatem assequi, igiturque a materna virtute mox degenerare. Neque omnino defuerunt, qui Hordeum e proprioribus septentrionem plagis ad nos translatum colere conarentur; cum autem neminem accuratam advectionem hujus hordei cum nostro domestico comparationem instituisse, aut, quicquid haec in re observatu dignum deprehenderit, id in publicum edidisse, constet; artis Oeconomicæ studiosis nec ingratum nec inutile duximus, si, occasione hordeum e Lapponiæ confiniis ad meridionalem Fenniæ plagam adiectum ferendi mihi oblata, insignem ejus citius, quam qua pollet indigenum nostrum hordei genus, maturescendi facultatem diligentius exquirere ejusque rei caussas quodammodo explicare in me susciparem. Quare Specimen Academicum Oeconomici argumenti editurus, de peculiari Hordëi Tornensis maturescendi habitu ac in re nostra rustica usū pauca disferens, rationem experimenti a me instituti exponam: & qvibus præcipue ex causis nostrum derivandum videatur phænomenon, breviter demonstrato.

§. I.

Hordeum, quo æstate anni abhinc proxime præterlapsi in experiendo usus sum, undecim modiolorum (Sveth. *kappar*) mensuram non excedens, in Torna superiori, Paroecia septem circiter millaria supra urbem ejusdem nominis jacente, satum natumque fuerat. Qui mihi munus hocce dedit, Secretarius h. t. Imperialis Sociatatis Oecon. Fennicæ vigilantissimus anno 1815 illud e loco suo natali ipse accepérat, ejusque erit species hocce Hordeum, quam Hexastichon appellant Botanici, quo etiam Fenniæ borealis ruricolæ suos vulgo conferere solent agros. Recentia integraque videbantur semina, & quemadmodum crescentis in Aboæ confiniis hordëi hexastichi grana magnitudine admodum paullulum cedebant, ita etiam tanillo

tillo pondere erant his inferiora, ut, cum horum singuli modioli leptem cum besse libras habebant, hordei Tornensis eadem mensura septem cum triente æquaret. Prædium autem, ubi sementem feci, fuit Yläne Nygård, in Patria Pöytis situm, & ab urbe Aboa quatuor, & quod excurrit, millaria septentrionem versus distans.

§. 2.

Ut rutem comparatio hordei e Torna advecti inter & nostri indigeni, ejusdem vero speciei, naturam crescendi & maturascendi a me instituenda, probabilitate quadam fese commendet, & quoniam, quale fuerit solum, quod hordeum Tornense genuerat, a me vix indicari potest, ne quis credat, illud, utpote in pingviori aut macriori terra, quam cui antea adseverat, satum, ex oblate uberiori aut parciori nutrimento, citius vel serius, quam domi solet, crevisse & ad maturitatem pervenisse, aut hac opinione inductus fortuitæ terræ diversitatì id tribuat, quod e peregrini climatis indole maxime derivandum esse putaverim, silentio prætereundum non est, qua ratione ipsum ferendi opus peractum sit. Elegimus vide-licet duo agri spatia: alterum, situ paullo depresso, argillaceum, humo feraci & pingvi ad octo pollicum crassitatem superiectum, & postquam anno præcedenti secale tulerat, aratro autumnali hordeo vere proximo recipiendo præparatum: alterum autem editum & apricum, at tenui, macra ac fabulosa terra obductum, per annum cesans &, ut solent colti novales, sub ætate verbaustum & saepius sulcatum, quo satis autumnalibus ferendis aptum fieret. Harum arearum: cuique hordeorum inter se comparandorum generi æquales partes determinabantur, quo facto singulis binis pingvicribus novem, totidemque illis macrioribus duo tantum modioli, eodem 24:o Maji die, committebantur, & peracta satione, occulsi similis semina condebantur & terra æquata cludebatur.

Inter-

Intervenientibus pluviis, post triduum semina hordei utriusque generis turgescere cœperant, at nulla adhuc dum erat turgoris discrepancia. Sexto autem post factam sementem die, hordeum Tornense suam citius pro crescendi naturam prodere incepit. Cum enim vix unum alterumve hordei domestici granum progerminasset, plures hordei Tornensis plantæ supra terram jam conspiciebantur. Computatione accuratori pluribus agri argillacei locis instituta, numerum herbarum hordei hujus ad eundem illius in eadem circiter suisle ratione, ac XV ad I, comperimus. Quæ in arenosis tabulis lata erant hordea, crebrioses quidem eodem tempore progenuerant herbas; id quod in ejusmodi terra vulgo siefi solet. At in hoc agro numeri germinatum utriusque hordei ad æqualitatis rationem paulo propius accedebant.

Die V:o mensis Junii, post fationem XII:o, omnes areæ, germinibus repletæ, viridem colorem procul emittebant; proprius autem accedenti densiores videbantur herbæ hordei Tornensis, germinaque nostri hordei duo fere pollicum longitudine excedentes.

Quo magis autem ab imo fundo succreverant hæc diversæ originis hordea, eo etiam insignius apparere cœpit, quæ inter se distabant, vigendi differentia. Altitudine singulis fere diebus magis conspicua, hordeum Tornense invalidiorem suum vicit æmulum, qui humilis & in crescendo lentus novo hospiti palmam reliquit. Nec altitudine sola excellebat, quod jam præire incepérat hordeum, sed folia quoque gestabat latiora, lætiusque virescentia; cum e contrario angustiora & pallidiora erant nostri hordei folia. Idem quoque conspiciebatur discrimen inter herbas in arenolo solo progerminantes, quæ tamen, cum congeneribus suis in pingviori terra cultis collatæ, non seriores quidem sed infirmiores & humiliores proveniebant.

Die

Die XV:o Junii primum geniculum culmorum hordei Tornensis observavi, & XX:o, quod domi natum erat nodos nectere incepit.

Mense Junio ad finem vergente vaginæ foliorum supremorum hordei e Torna superiori translati jamjam extumescerre coeperunt. Emicantibus deinde die VI:o Julii pastori primis glumarum aristis, ea celeritate emittebantur ipsæ spicæ, ut eadem die XII:o ejusdem mensis omnes jam apparerent: quo tempore spicæ hordei domi nati, paucissimis exceptis, vaginis adhuc circumdatae latebant, donec tandem die ejusdem mensis XIX:o plurimæ in lucem prodirent. (a).

Paucis diebus interjectis postquam domesticum hordeum spicarum ornatum semet vestierat, aristæ Tornensis frumenti colorem viridem amiserunt: cumque illud adhuc die XXVI Julii latè viresceret, hujus per totum agrum spicæ, una cum superiori culmorum parte, flavedine correptam præ se ferebant speciem.

Die Augusti III:o permulta maturitatis signa prodidit Hordeum Tornense. Culmi usque ad radicem erant flavi, inclinabat sese superior illorum pars, & nutabant in terram aristæ; quare etiam, granis intervallo hebbomadis probe obduratis, die hujus mensis X:o, quo Secale frumentum metebatur, falcom ei adinovendam curavi. Sed longe aliter sese habebat alterius hordei seges. Cum enim lentius cresceret, seriusque maturesceret, æstatis quoque siccitas, quæ diu vehementerque arva affixit, longe graviorem hujus quem illius herbis intulit.

a) Ob diuturnam, qua posteriori mensis Junii & priori mensis Julii dimidio laboratum est, tuncitatem, multæ hordei domesticæ plantæ, in crescendo retardatae, vix adhuc vaginis tumebant.

tit noxam, & incidentibus versus finem mensis Julii pluviis assiduis, immo imbribus haud raris, licet permultæ plantæ, quæ sicca antea laboraverant tempestate, non solum reviviscent, verum etiam densa novorum culmorum multitudine insigniter fruticarent, aristasque protruderent, tamen cum serius hæc omnia fierent atque periculum esset, ne maturarum spicarum proventus periret, omnia metendi necessitas citius oborta est, quam ut ferotinæ hæc spicæ, quæ die XXIV:o Augulti, quo nescis peragebatur, viridi adhuc mabant colore, maturitatem attingere & granarii cumeris aliquid frumenti inferre valerent.

Ne autem officio nostro omnia illa enarrandi, quæ inter experiendum observari ac cognosci & potuerint & debuerint, deesse videamur, paucissimis referre juvat, quem fructum ex horum hordeorum satis perceperimus. Fuit autem ille valde parcus: reddidit enim hordeum Tornense tantummodo XLVI, & alterum genus XLVIII frumenti modiolos. Cujus rei causæ erant tum inmodica tempore verno siccitas & assiduae inter aestatem pluviae, quarum illa germinandi & crescendi vim cohibuit, hæc autem maturascendi facultatem hordeo imp̄imis domestico ademerunt, tum etiam mala usilago, quæ tam magnam hordei Tornensis spicarum torruit multitudinem, ut quamquam vix dubiam, dum illæsa segete oculos palcere licet, spem faceret, fore ut frugis copia indigenum hordeum vinceret, illud tamen æquare non satis valeret,

§. 3.

Ex his autem diligenter observatis & inter se comparatis facili negotio colligere licet, hordeum, quod ex Torna superiori acceperam, eo longius inter crescendum domi nato antecessisse, quanto altius ambo suas erigerent herbas. Parum temporis licet inter germinationes utriusque hordei intercederet,

ret, tamen geniculorum formationes V & eruptiones spicarum VII dierum spatium distinxit; atque longissimo intervallo, XIV comprehendente dies, distiterunt maturescendi momenta, cum hordeum nostrum XCH diebus e fato semine ad messem opus haberet, & Tornense intra LXXVIII dies spicas frumento gravidas falci præberet. Quod vero hordeum, in agris Tornensisibus cultum, breviori etiam tempore maturitatem asse- qui soleat, ex iis, quæ observarunt illorum locorum Oecono- mi, notum habemus (a); nec dubitanus, quin hæc hordei species sub nostro quoque cœlo, cum secunda arrideat tempe- stas, paullo citius quam horrido, quo illud mei foverunt agri, anno factum est, maturescere queat.

§. 4.

Quemadmodum omnes plantarum varietates, quæ formam suam per plures generationes constanter servant, non subito ortas esse novimus; ita hordeo, aut in Lapponia ejusque con- finiis, aut in calidioribus terræ plagis culto, celerius aut se- gnius maturescendi facultatem mox & primo jam, quo ibidem feritur, anno haudquaquam innasci, comprobant experimenta, quibus utriusque generis ad nos advecti naturam diligentius explorare seduli adnisi sunt Oeconomi. Sub nostro nimirum cœlo satum, neque hoc neque illud naturam domestici hordei mox induere potuit, sed, quo longiori vel breviori æstati ad- svetum fuerit, eo ferius vel citius maturuit. Accedit huc, quod mihi tradiderunt viri fide dignissimi, hordeum e Fennia

B

vel

a) Ex observationibus, quas anno MDCCCLXXXIX ie Sodankylâ fece- rat & in Actis Soc. Scient. Holm, pro anno MDCCXC inferendas curavit ibidem t. t. Pastor Nicol. Enckel, constat, hordeum in isti- us Lapponicæ Parœciæ agris die XIX Maji satum, post factam die XXVII:o ejusdem mensis germinationem, die XXIX:o Junii in spicas exiisse, & maturitatem die XXX:o Julii consecutum esse.

vel Svecia australiori, ubi longiorem sub divo vitam agere amat, ad regiones magis boreales translatum, in his novis sedibus frigorum invadentium violentiae saepius succubuisse, antequam ad maturitatem pervenire valuerit. Non igitur fidem inveniet, qui contendere audeat, hordeum hexastichon magis quam cæteras hordei species, e prima sua patria ad terras septentrionales, in quibus nunc colitur, uno quasi saltu promoveri potuisse, & ibidem suam vigendi indolem ad diversam plane peregrini climatis rationem momento conformasse: quin potius industria curaque hominum altius altiusque per gradus e loco suo natali boreales versus regiones transpositum fuisse videtur hordeum hocce, & frigidiori duriorive hujus climatis indoli paullatim adfæfactum, eandem citius maturascendi sibi sumississe virtutem, in qua ceteræ quoque arctoi orbis herbæ excellunt. Quam migratione sensim comparatam, cum bene inveteraverit, conservudinem, semen hujus hordei, vel si ad antiquas, h. e. australiores, suas sedes revehatur, secum ferens, per multas, ut credere fas est, generationes conservabit. Quid autem in causa sit, cur plantæ in regionibus septentrionalibus breviori, quam in meridionalibus, tempore omnes absolvant crescendi & maturascendi operationes, ut pro virili parte explicemus, instituti nunc postulat ratio.

§. 5.

Multæ sunt res, quas, vel ut nutrimenta horumque involucra vel ut incitamenta, in vegendi plantarum vim sub omnibus coelo agere docent Physiologi: & quamquam maximum ad materiam, de qua scribimus, explanandam momentum habeat, ut illarum rerum rationes &, sub quibus singulæ in plantarum agant incrementa, conditiones fusi exponamus; attamen cum tota hæc disquisitio Physiologorum subjaceat ditioni, & latioram comprehendat ambitum, quam ut intra angustos hujus

ius dissertationis cancellos concludi queat, quorum est de his disputare rebus, illorum lucubrationibus omnem hujus doctrinæ complexum relinquens ex ejusdem scritis illa tantummodo depromam præcepta, quæ, cum causas celerem plantarum Lapponicarum crescendi vim efficienes in universum explicent, intimul quoque illius insignis, quæ in hordeo Tornenſi inest procrescendi incitatius & maturescendi facultatis enucleandis inserviant rationibus.

Jam inter omnes constat Physiologos, ipsius terræ indolem, prout abundantiorum aut pauciorum carbonii (a), aquæ & galum (b) in se continet copiam, ejusque hinc ortam majorem vel minorem pinguedinem, magnam vim ad plantarum vigorem aut promovendum aut retardandum habere. Quare etiam soli bonitas & feracitas, aut macritas ejus & sterilitas, quam è crassiori aut tenuiori glebae mollieris, magis pulvereæ ac friabilis, (*Sveth. Matjord, matmylla*), intractabiliorem fundum tegentis strato aestimare solent Oeconomi, ad harum particularium nutrientium, majorem aut minorem in terra latenter quantitatem potissimum referenda atque exigenda est; quamquam vix negamus, argumenta ad hanc rem dijudicandam e humi fundum inferiorem obtegentis crassitudine aut tenuitate tuto posse peti, cum illa ubiorem haec autem paucorem earum rerum, quæ plantas alere valent, copiam haud obicure indicent. Quæ cum ita sint, atque cum probabilitatis quadam specie multis fere commendare possit illa opinio, terræ

B 2

pin-

a) Carbonium è lœtamidine potissimum & humo provenire docuit *Hassenfratz*, Cfr. Annales de Chemie Tom. XIV. p. 55 sqq.

b) Gasum in terra præsentiam demonstrant *Humboldt* in tractatu: Ueber die unterirdischen Gas-arten, Braunschwe, 1799 edito, et *Emmert* in Gilberts Annalen der Physik, 6 B. I St.

pingvedinem ea pollere vi, quæ ad maturitatem plantas cœtius perducat, omnium primo examinasse juvabit, an solum in Lapponia ejusque confiniis pingvius sit ac feracius, quam in australioribus Fenniæ arvis. Quum autem stratum illud optimus fœcundiusque, quod in superficie terræ videmus, ex animalibus & vegetabilibus putrefactis originem suam imprimis ducat, & ob eam causam in quovis loco eo densius subnascatur, quo major sit animalium & plantarum in eodem viventium multitudo, veri quidem simile non est, regiones frigidiores fertilius agricolis oblaturas esse solum, quam calidores terras, multo ditiori Fauna Floraque (1) insignes. Accedit, quod omnes, quibus Lapponiam tractusque ei adjacentes invisiendi fuit occasio, pro certo affirmant, hæc loca, polo propiora, fertilitate e crassitudine humi orta australioris Fenniæ agris cedere. Quæ res, si, ut putamus, vera sit, ipsa illa nuper mota quæstio, num uberior soli pingvedo plantas ad maturitatem celerius perducere valeat, vix ulla eget disputatione: quare in transcurso illud tantummodo observabimus, quod plurim Oeconomorum confirmat experientia, maiorem nutrientorum copiam, celeilibus paratam, non tam præcoci maturitati adjuvandæ, quam potius uberioribus majoribusque granis producendis infervire. Sæpe enim apud nos quo-

a) Vide RAFN Växt Physiologi p. 251. "I Södra Georgien skall
"enligt trovårdige berättelser, blott finnas tvåne flag af vildt växande örter; på Spetsbergen 30; i Lappland öfver 500; på Island omkring 600; i Danemark öfver 1300; på Jamaica ungefärlig 4000; på Madagaskar öfver 50 0." Qui a viro laudato collectus herbarum in diversis regionibus vigentium numerus, quamvis ex Clasie imprimis Cryptogamica eique subjunctis Muscorum, Lichenum & Fungorum ordinibus nupera Botanicorum Specierum industria detectæ plantæ Floram Lapponicam plus duplo diiorem jam præbeant, & frigidiores regiones numero plantarum Cryptogamicarum calidioribus in universum antecellant, has tamen plures alere vegetabilium species quam illas, satis docet.

quoque accidit, ut segetes in macrioribus agrorum areis crescentes citius mesi fiant naturæ, quam quæ in locis recenter ac spisæ stercoratis ut lætius ita diutius floreant, ut taceam hordeum, in arenosis sterilibusque Uloæ campis satum, intra LX dierum spatium nonnumquam maturitatem assequi, cum in Galliæ feraciori solo cultum duplo longius tempus ad idem opus absolvendum requirat. Quæ omnia haud secus ac experimentum, a nobis in diversæ indolis agro institutum, abunde comprobare videntur, ex ipsis terræ natura causas illius rei haudquaquam esse derivandas, quod hordeum in regionibus borealibus citius quam in meridionalibus maturescendi habitum sibi acquisiverit.

§. 6.

Cum ex Oxygenio & Hydrogenio, quæ una cum Carbom præcipua constituant vegetabilium elementa, componatur aqua; a sufficienti hujus primarii nutrimenti (a) copia, plantis oblata, ipsum in his nutritionis negotium insigniter adjuvari, quis est, qui dubitet, annuatim ferme recurrente edoctus experientia, dum diu sit terra, nutare quoque marcelcere tandemque emori plurima herbarum genera? Quare a re nostra alienum certe non foret, si accuratas pluviarum niviumque, cum in Tornensisbus tum in meridionalibus Fenniæ regionibus coelo decidentium, & vaporum e lacubus, stagnis, amnibus paludibusque adscendentium ac restillantium rationes adire & inter se ita conferre liceret, ut utris in plagis parciores aut ubiores sint aquarum origines terram & ærem ipsum humitatem.

a) Die Hauptnahrung der Gewächse ist Wasser; aus der Erde nehmen sie dieses mit ihren Wurzeln zu sich, und über der Erde ziehen sie alle in Dünste aufgelöste Feuchtigkeit an. WILLDEnow's Grundriß des Kräuterkunde. Dritte Aufl. p. 383.

nitate plus minusve saturantes, liquido pateret, atque quibus in locis aquæ cœlestes, mensibus imprimis æstivalibus, dum florent herbæ, magis assiduae sint, & intervallis dierum adstrictius æquatis uberiori defluant terram constantiori at semper modico madore rigantes, aut ubi locorum nunc continentiores sint nubes nunc extra modum in imbres effundentur, calculis positis omnium oculis mentibusque subjici possit. At cum nemmo, quantum quidem nos scimus, in borealibus Fenniæ partibus tales Hygrometricas vel Hyetometricas instituerit observationes, ut harum rerum rationes conferri ac inventari possent, ne officio tamen omnia colligendi, quæ ad argumentum, de quo disputamus, quodammodo explanandum aliquid habeant momenti, defuisse videamur, tabulas dierum pluvialium, Uloæ & Aboæ per decem annos a JULIN & HÄLLSTRÖM observatarum, numerum recensentes, heic subjungamus; quæ observationes, quamquam iisdem annis non factæ sunt, id tamen probant, Uloæ regiones ab Aboæ tractibus pluviarum nonnumquam vicini copia. Observavit autem JULIN sumمام dierum, quibus Uloæ pluviae deciderunt, hanc fuisse (a):

Annis - Mensibus Maji - Junii - Julii - Augusti - Septembri.						
1778	—	8	9	6	7	7
1779	—	7	7	8	2	11
1780	—	9	7	10	1	5
1781	—	9	4	8	8	5
1782	—	9	8	9	8	8
1783	—	7	8	12	7	12
1784	—	10	12	7	9	10
1785	—	10	8	9	15	17
1786	—	10	12	15	9	9
1787	—	13	13	20	19	8
Unde ostitur hoc:	9, 2	8, 8	10, 4	8, 5	9, 2	cujus,

a) Vide in Vett. Akad. N. Handl. Tom X p. 115.

cujusvis mensis medium; atque sic omnium mensium medium est 9, 2.

Quas autem Aboæ instituit HÄLLSTRÖM observationes, mihi benignè ab eodem ipso Autore communicatæ, hoc modo se habent:

Annis - Mensibus Maji - Junii - Juli - Augusti - Septembri.					
1797	—	12	11	9	13
1798	—	7	3	11	9
1799	—	11	13	15	17
1800	—	11	10	16	6
1801	—	6	11	14	12
1802	—	9	7	14	11
1803	—	6	15	9	6
1814	—	3	8	8	5
1815	—	12	6	12	15
1816	—	9	8	10	17
					11

Singulorum itaque mensium medium est

6,6 9,2 11,8 11,1 9,7

& per omnes menses dierum pluvialium numerum efficit 10, 1.

Quod ex harum tabularum comparatione educere licet, aliquanto uberiores esse interdum Aboæ tempore æstivo pluvias, filum quidem non est Ariadneum, cuius ductum paullo abstrusiore iis, quibus premitur, difficultatibus extricare valerem: at cum ex altera parte constat, hordeum semper breviori temporis spatio maturitatem sentire in borealibus quam in meridionalibus patriæ regionibus, ex altera autem Boreæ tractus multitudine dierum pluvialium, ut jam diximus, australibus plagis nonnumquam, quamvis haud multum, cedere; suspicari minime licet, eam citius maturescendi, quæ hordeo Tornensis inest, facultatem, cuidam uberiori ac constantiori foli Tornentis madori suam debere originem.

§. 7.

Quemadmodum quæ in terra præsto sunt nutrimenta radicis ope exsugunt vegetabilia, ita ex aëre gasia foliorum adjuvamento absorberi omnes nunc concedunt Physiologi. Quare ad illam iam accedimus quæstionem, an ex diversa quadam aëris atmosphærici in borealibus regionibus mixtione vel compositione florentium ibidem plantarum citius crescendi & maturescendi indoles derivari possit. Qua in quæstione enucleanda quominus multi simus, observationum Eudiometricarum in Fennia septentrionali habitatum defectu prohibemur. Sed cum experimenta, quæ instituerunt HUMBOLDT & GAY-LUSSAC (a) fidem faciant, gasia, azoticum puta & oxygenicum, aërem atmosphæricum imprimis constituentia, æqua fere per plurimas, ubi itinera fecere, terras ratione, eundem componere; diversam quandam aëris mixtionem in Lapponiæ confiniis haud esse admittendam putamus. Ad Gas autem carbonicum aëri admixtum quod attinet, nulla subest causa, cur majorem hujus in Tornenium regionum atmosphæra inesse copiam credamus.

§. 8.

Inter cætera adminicula, quibus ad vitam generandam, tuendam & ad finem legibus naturæ præscriptum producendam opus habent vegetabilia, temperatus pro diversa cujusque plantæ indole calor haud insimum occupat locum. At vegetabili cuique, quādiu vivit, non solum suus ac proprius inest calor, ut inter omnes, licet de hujus ortu causisque varie disputantes,

a) Vide: von HUMBOLDT's, und GAY-LUSSAC's Versuche über die Betheile der Atmosphære in Gehlen's n. allg. Journ. der Chemie. Vol. V. p. 45 sqq.

putantes (a), convenit Physiologos, sed docet quoque experientia, vitalitatem plantarum, a majori vel minori externi easdem ambientis caloris gradu inter crescendum insigniter aut adjuvari aut impediri. De illo genere nihil mihi saltim ita compertum est, ut, si ad locorum, de quibus loquor, disstantiam, atque ad diversos caloris interni gradus, qui in singularis hisce plagiis cuique inesse possit plantarum generi, spectetur, aliquid certi in medium proferre auderem; quare totam hanc, non maxime modo impeditam, sed supervacaneam quoque (ideo nimirum, quod calor plantarum proprius non inter causas conspicuae in iisdem vis vitalis, sed inter indicia ejusdem referendas sit) relinquere coactus disquisitionem, pauca de altero caloris genere disputabo. Cum autem non solum diversa caloris vis, variis anni tempestatibus valens, & in plantas, prout fortius aut remissius fervet, agens, verum etiam aedificia hortulanorum caletactoria, quorum in areolis, aucta caloris temperie, seminum germinatio ac herbarum succrescendi impetus mirum in modum protruditur ac promovetur, satis superque probent, externum calorem ad plantas e terrae gremio eliciendas fructusque maturandos maximam vim habere; ad caloris tum in Tornensisbus, tum in meridionalibus Fenniae regionibus regnantis gradus explorandos metit convertam, quo comparatione facta, an re vera in his locis sit caloris aetivi quedam differentia, & si detur, quanta sit & ubi praeponderet calor, inveniamus.

C

Du.

a) Ex Sole & aere quidam auctores, ut v. c. MALPIGHI & GREW vegetabilibus calorem communicari putarunt; PLINIUS autem & inter recentiores MAIRAN & BUFFON, alios ut taceam, caloris ortum a terrae gremio repetere voluerunt, cum alii, idemque recentissimi, illum a propria quadam vi creatrice oriti contendant. Cfr. Disl. de Calore plantarum proprio J. F. WALLENII, Aboæ anno MDCCCI editam,

Duplicem vero sedem tenet calor externus: alter in terra latet abditus; alter in immensis aëris spatiis volat. De illo est primo agendum.

Temperaturam terræ ex temperie aquarum, quas fontes per totum annum scaturientes emitunt, certissimè explorari & inveniri posse primus statuit VON BUCH; quam eandem ingressus viam WAHLENBERG. (a) diversis in Sveciæ locis calorem terræ perquisivit. Ex hujus etenim Thermometricis observationibus scimus, temperaturam terræ ad Gevaliam, ejusdem fere ac Aboa vel saltem Yläne latitudinis, esse $+5^{\circ}$, 5, ad ostium fluvii Angermanniae $+3^{\circ}$, 7, & ad lacum Vindeln, eodem fere ac Torna sub latitudinis gradu, $+1^{\circ}$, 8 (b), quibus addi posunt, tam quæ HELLANDT & JULIN observarunt, temperaturam terræ esse ad Tornam 2° , 7 (c) & ad Uloam $+3^{\circ}$, 0 (d) quam quæ ex observationibus in fontium aquis ad Wasam, Aboam & Nådendal ab HÄLLSTRÖM factis novimus, temperaturam scilicet terræ Wasensis medianam esse $+4^{\circ}$, 0 Aboënsis vero $+6^{\circ}$, 0. Cum denique VON BUCH calorem fontium ad lacum Neocomum $+10^{\circ}$, 1 inveniret (e), ex omnibus hisce observationibus inter te collatis intelligimus, soli Törnenis temperiem quatuor circiter gradus terræ Fennicæ meridionalis esse interiorem: quemadmodum etiam ex

iis.

a) Vide in K. Vett. Acad. N. Handlingar Tom. XXX p. 205 & sqq.

b) Cfr. K. Vett. Acad. N. Händl. Tom. XXXII p. 19 & sqq.

c) Vide: HELLANDTS Rörelse om vattnens värma i de Nordiska Haf, sjöar och brunnar in K. Vett. Acad. Handl. Vol. XIV.

d) Observationes suas fecit JULIN die XXIX mensis Augusti in acidulis Uloënsibus. Cfr. K. Vett. Acad. N. Handl. Tom. XXXII p. 37.

e) Cfr. L. prox. cit. p. 16.

iisdem laudatis experimentis conjicere licet, calorem terræ in universum eo magis decrescere, quo altius ad loca verius septentrionem sita penetremus.

Sed si paullo difficilius sit veram caloris in terra latentis rationem experimentis captis cognoscere, longe expeditior est via ad aëris temperaturam explorandam, quippe quæ mox sub sensus cadit. Qui Thermometricis observationibus instituendis & conferendis indefessam impenderunt operam, quos inter WAHLENBERG (a), ut alios taceam, nominasse juvat, certum exploratumque habent, calorem terræ per totum Europæ orbem, temperaturæ aëris mediæ paullulum anteire: & quo appareat, qualis fit ratio medii caloris in iis prælertim, de quibus agimus, locis, atque illo tempore, quo herbascunt plantæ, duodecim annorum observationes, mensibus æstivalibus a LECHE Aboæ & JULIN Uloæ habitas heic subiectas inter se comparasse juvabit.

Fuit ex observatis LECHE Aboæ Thermometri centigradi altitudo (b):

Annis:	Mensibus	Maji	-	Junii	-	Julii	-	Augusti	-	Septembri
1750	-	+ 9, 4	+ 16, 2	+ 19, 0	+ 17, 8	+ 9, 5				
1751	-	9, 7	13, 8	18, 3	15, 8	9, 7				
1752	-	10, 7	15, 0	21, 0	18, 7	9, 1				
1753	-	9, 8	14, 1	17, 0	15, 3	11, 1				
1754	-	9, 1	16, 1	16, 5	14, 1	10, 4				
1755	-	12, 2	16, 7	19, 7	13, 4	10, 0				
1756	-	8, 5	16, 0	18, 7	13, 3	9, 3				
	C 2						1757			

a) Vide eundem, libr. cit., p. 15.

b) Vett. Acad. Handl., Vol. XXIV. p. 181.

1757	—	9, 2	17, 9	21, 4	17, 9	13, 6
1758	—	10, 1	12, 6	15, 8	14, 7	7, 7
1759	—	7, 3	16, 8	18, 2	16, 3	9, 2
1760	—	9, 8	16, 2	19, 6	15, 8	12, 0
1761	—	10, 2	16, 9	17, 6	17, 6	12, 7
Unde media		9, 7	15, 7	18, 6	15, 7	10, 4

& Uloæ (a) eodem instrumenti genere usus has invenit rationes (b) JULIN.

Annis:	Mensibus	Maji	- Junii	- Julii	- Augusti	- Septembri
1776	— +	3, 6	+ 12, 6	+ 16, 3	+ 13, 9	+ 3, 9
1777	—	5, 2	10, 8	13, 5	10, 2	2, 2
1778	—	3, 0	9, 9	14, 9	9, 5	6, 3
1779	—	3, 9	11, 0	13, 9	12, 6	5, 5
1780	—	0, 9	9, 5	15, 1	10, 2	2, 3
1781	— —	1, 2	7, 9	12, 0	11, 6	7, 0
1782	— +	6, 7	13, 5	16, 8	16, 1	8, 8
1783	—	1, 4	9, 6	15, 1	10, 1	2, 3
1784	—	1, 9	8, 1	12, 2	8, 2	7, 1
1785	—	2, 8	14, 0	18, 3	14, 6	5, 7
1786	—	6, 2	13, 8	17, 5	17, 8	10, 2
1787	—	6, 8	15, 6	17, 3	13, 8	7, 2
Med. mensium	+ 3, 5	+ 11, 4	+ 15, 2	+ 12, 4	+ 5, 7	

Computando harum Tabellarum rationes, invenimus quidem temperaturam caloris medium Uloæ sub his annis mensibusque fuisse $9^{\circ}, 6$ & Aboæ $14^{\circ}, 2$, hujusque igitur loci calo.

a) Cum observationes Thermometricas Tornæ per plures annos factas consulendi nulla nobis oblata fuit occasio, iisdem Uloæ habituti necesse fuit.

b) Vett, Acad., N, Handl., Tom. X, p. 183.

lorem 5 circiter gradibus illius superasse (a). At quamquam ex hoc calculo prona fluere videatur consequentia, miram, quæ hordeo Tornensi inest, si vel in patria terra, vel, ut experimentum a me factò cognitum est, in peregrino seratur solo, hordeo nostro domestico citius maturescendi facultatem, haudquaquam e calore, in Tornensibus agris, mensibus æstivis ferventius quam in nostris australioribus dominante, deducendam esse; ne tamen inconsiderate aut negligenter in iudicando egisse merito culpemur, quæ contra hanc sententiam, cui usque maxime probabili ipsi favemus, dici poslunt, paucis attingere e re esse nostra duximus.

Sunt nempe Thermometricæ illæ observationes, quibus, tum Uloæ tum Aboæ institutis, nobis hac in re dijudicanda ut licuit, ita comparatæ, ut temperaturam caloris tantummodo dieram, non autem noctium desiniant. Unde, quoniam Sol, & lumen & calorem telluri affundens, cum australioribus plagiis vespere se subduxerit, sub horizonte commoratur diutius, quam in locis borealibus, qualia sunt Tornæ tractus, ubi media æstate diem a nocte exiguisimo intervallo distinguunt, ut quod omnes quoque sciunt taceam, eundem Solem eadem.

a) Quæ in Enontekis per tres annos: 1802, 1804 & 1805 a GRAPÉ, ibidem Pastore factæ sunt Thermometricæ observationes, temperiem aëris Lapponiæ Tornensis æstivam nostram esse inferiorem, ulterius comprobant. Ex illis nimisrum colligitur, medium caloris gradum ibi locorum fuisse.

Mensibus:	
Majus	23, 50
Junio	9, 70
Julio	15, 33
Augusto	13, 36
Septembri	5, 40

Unde per omnes hos menses medius oritur caloris gradus = 9, 26
Cfr., WAHLENBERG. Flor. Lapp. Introd. p. XLIV.

dem anni tempestate in Lapponia nec occidere nec exsurgere, sed per totum temporis spatium, quo circa axem suum volvitur terra, supra hujus cœlique confinia splendentem incedere, facile quidem illa suboriri potest opinio, medium per integratos cum noctibus dies calorem, his locis & hoc anni tempore, ad altiores, quam in meridionalibus terris, re vera ascendere gradus, quamvis nemo Thermometri ope id exploraverit ac confirmaverit, eaque magnam partem ex causa enatum esse illum, quo hordeum Tornense præ eodem genere frumenti in australioribus plagiis culto gaudet, citius maturescendi habitum. Quod si vel hæc, nullis confirmata observationibus, nosmet haud remoretur opinio, restat tamen alter cum ejus ratione conjunctissimus, ambigendi subministrans causam, scrupulus.

Quoniam videlicet, ut jamjam dictum est, Sol æstivus in borealibus terræ plagiis, aut non omnino occidit, aut quam citissime horizontis marginem subterlabitur, quem excitat calor, in his regionibus magis æquum, per dierum noctiumque vicissitudines, tenorem ita servare valet, ut magnum illud ibi non exstet diurni ac nocturni caloris discrimin, quod sub æstate semper haud parum, & saepè vehementissime in meridionalis Fenniae sentitur terris. Unde si cui arrideat ea, omnino nullis quidem observationum experimentorumve indicis comprobata minus quam infirmata, præsumtio, plantas æquabiliori per noctes diesque temperatura fotas citius crescere & maturescere, quam quæ minus lentis expositæ caloris graduum mutationibus alternas sustineant ardendi algendique vices, posito nimis eodem sub utraque cœli plaga medii caloris temperamento, is certe luæ, utut precariæ, confidens rationi non potest, quin inter jamjam explicandi a nobis phænomeni causas peculiarem quoque referat cœli ejus æstivi, cui Tornensis subjacet regio, caloris temperiem. His vero, quæ haud improbabiliter nobis objici posse præfensimus, quamvis multa eadem-

eademque haud levius, quam hæc ipsa, pondus habitura opponi posse videamus argumenta, attamen huic dirimendæ controversiæ tantum abest ut temere nosmet immisceri patiamur, ut potius omne tulisse punctum existimari cupiamus, si conquistæ in re anticipi dubitandi rationes oculatiorum in se convertere valuerint & attentionem & subtilissimam vel observandi vel experimenta instituendi artem.

§ 9.

Multas quidem res, quæ plantis in crescendo & maturando maximo sunt usui jam recensuimus & breviter excusimus; quoniam autem illæ, ut ex iis, quæ a nobis proposita sunt, perspicere licet, aut nihil prorsus, aut si quid, attamen vix ita ut probari queat, ad insignem, de quo loquimur, habitum hordeo Tornensi ingenerandum conferre valeant; dispiendum nunc est, an non alia quædam reperiri possit causa, quæ his omnibus validior illum ipsum habitum progenuerit. Quam nobis perquirentibus, cum de calore proxime egimus, cui, utpote a Sole oriundo, incitatiorem plantarum sub septentrione crescentium maturitatem adscripsit quoque ipse a LINNÉ (a), altera Solis virtus, quæ in vi tellurem lumen suo illustrandi inest, ita sese obtulit, ut illa quin præcipua si non unica sit causa, quæ hordeo Tornensi citam maturescendi facultatem indiderit, vix dubitare possumus. Lucis enim materia diligentius examinata, & a Thermogenio accuratius distincta, diversam cuique eorum in plantas agendi vim inesse non solum invenerunt recentiores Chemici & Physici, verum etiam valde multorum experimentorum innixi fide, Photogenio plurima phænomena, quæ in plantis, dum crescunt, præbent se conspicienda, jam attribuerunt. Singulari materiae lucis vi variam caulis, ramulorum, foliorumque posituram,

a) Cfr. Vett. Acad. Handlingar Vol. I. p. 21.

ram, plantarum versus lumen nutationem, earundem somnum & vigilias, observationes a BONNET (a), TESSIER (b), DECANDOLE (c), aliisque facte adjudicant: atque ut viriditatem herbarum (d), diversosque florum fructuumque colores e Photogenio, ita etiam chlorosin plantarum ex ejus defectu oriri docent præter alios MEESE (e), SENEBIER (f) HEINRICH (g): quin immo ipsum nutritionis negotium ex eadem hac vi insinuauerit adjuvari, ionumera experimenta, quæ instituerunt INGENHOUSS (h), SENEBIER (i), SAUSSURE (k) cæterique, & quorum

- a) Vide: Second memoire de la direction & du retournement des feuilles; & à cette occasion de la perpendicularité & repliement des tiges, in Oeuvres d' Histoire Naturelle & de Philosophie de CHARLES BONNET. Tom. IV. p. 109 & sqq.
- b) Cfr. Experiences propres à développer les effets de la Lumiere sur certaines Plantes per M. l'Abbe TESSIER in Histoire de l'Académie Royale des Sciences. Année MDCLXXXIII. p. 133 sqq.
- c) Vide: Journal de Physique Tom. LII p. 124 sqq.
- d) Inter primos, qui viridem foliorum colorem ex luminis actione derivarunt, fuit RAIUS. Cfr. ejus Hist. Plant. Tom. I. p. 15.
- e) MEESE in ROZIER Journal de Physique Tom. VI. p. 445 & 450; atque Tom. VII. p. 112 & 193.
- f) Cfr. Memoires Physico-Chymiques sur l'influence de la lumiere solaire pour modifier les êtres des trois règnes de la Nature, & sur tout ceux du règne vegetal. Tom. II. p. 51 sqq.
- g) Von der Natur und den Eigenchaften des Lichtes, Petrop. 1808 p. 32 & sqq.
- h) Cfr. Versuche mit Pflanzen.
- i) In Journal de Physique T. XLI. p. 205 sqq.
- k) Cfr. Recherches chimiques sur la Végétation à Paris en 1804 I Vol. 8.

rum summas collegit HEINRICH (a) satis superque probant. Dissolvuntur enim gas acidi carbonici aquaque, quæ ex aëre vel terra radicum foliorumque ope imbibunt plantæ, adjuvante Photogenio, atque dissoluta plantis præbent præcipua, quibus opus habent, nutrimenta, Carbonium puta, Oxygenium & Hydrogenium: ut taceam, ipsam flammam, qua ardent, cum incenduntur vegetabilia, ostendere, materiam lucis in illorum viscera intrare, atque cum Carbonio, Hydrogenio, Resinis e. s. p. junciam, partem eorum constituere (b). Quæ omnia æqua lance ponderantibus vero utique videtur simillimum, plantarum crescendi ac maturendi operationes eo citius absolvvi, quo magis assidue in illas agat lucis benefica vis. Crescentibus autem, una cum locorum ab Æquatore distantia, dierum ex longiori Solis supra Finitorem commemoratione oriundis spatiis, plantæ etiam in septentrionalibus terris nascentes, ob continuum aut latem paullulum, sub noctibus æstivis illistribus, interruptum lucidi incitamenti influxum, non possunt non citius, quam in meridionalibus regionibus, ubi noctes longiores & insimul tenebrosiores altiorem vegetabilibus concedunt quietem, procrescere: unde fit, ut Hordeum in tribus Tornæ, ad VI gradus ab Aboa distantis, cultum ex eadem hac quoque causa breviori tempore maturitatem ibidem assequatur; quo habitu semel induito, vel si in agros meridionales transmigret, illum tamen per longiorem annorum seriem servabit.

Sed aptequam hanc mittamus quæstionem, unum adhuc addere liceat argumentum, quod ad sententiam nostram confirmandam alicujus momenti esse videtur. Est autem illud petitum ex æquo fere horarum numero, quibus Sol, quamquam

D

inæ-

a) Vide l. c. p. 54 sqq.

b) Cfr. HEINRICH Libr. cit. p. 70 & 71.

inæquali dierum noctiumque ratione, tum Aboæ tum Tornæ eo tempore splendet, quo crescit & ad maturitatem pervenit hordeum. Nempe intra XCII dierum spatum in tractibus Aboënsibus ad MDCL horas supra horizontem versatur Sol, cum LXXIX circiter dierum viciisstudinibus eundem horarum numerum in Tornensibus plagiis complet (a). Quod vero sæpius fine breviori, ut observatum est, tempore Tornæ satum maturat hordeum, v. c. cum LXX & interdum paucioribus diebus id fiat, hoc ipsum phænomenon e lucidioribus regionum borealium noctibus longioribusque crepusculis ut facilime ita maxime probabiliter explicari potest.

§. 10.

Quousque autem hocce hordeum, e Tornensibus regionibus adiectum, sub nostro cœlo suam citius maturascendi naturam conservare valeat, pro certo definire haud scimus; quippe quod non nisi ex accuratis & longiori tempore insitutis experimentis explorari potest. Cum autem qui per aliquot annos hordeum e septentrionalibus terris translatum apud nos coluerunt Oeconomi, nullum fere sæpius laudati habitus decrementum deprehenderint, facilis inde suboritur conjectura, idem hordeum novam suam indolem diu quoque sub nostro cœlo esse conservaturum. Attamen ejus rei ergo non est quod dubitemus, quin alienam hanc naturam, in peregrina terra comparata, lenior aura, si ad antiquas aut his proximas sedes hordeum hocce migrare jubeas, sit mutatura. Verosimillimum enim nobis videtur, ut quam ei altera climatis vis indiderit consuetudinem eandem etiam altera, eaque ab initio ei propria demere valeat. Neque minori gaudet veritatis specie opinio, grana hordei septentrionalis, quæ climatis du-

a) Sationem in Aboë tractibus die XVII, in Tornensibus autem regionibus die XXVI mensis Maji fieri posuimus;

durioris vi a magnitudine sua aliquantulum degeneraverint,
sub nostra cœli plaga, temporis tractu, nostri quoque hordei
hexastichi semina olim esse æquatura.

§. 11.

Ad finem jam perducta, qualiscunque sit, disquisitione,
de causis, unde oriatur peculiaris hordei Tornensis citius,
quam qua ejusdem frumenti genus in australioribus patriæ
regionibus natum gaudet, maturescendi vis, restat ut paucis
de usu, quem in nostris agris satum rei rusticæ adferre valeat
hordeum hoc boreale, lectorum judicio subjectis, coronidem
epellæ imponamus. Minora quidem & leviora grana, quam
australis Fenniae hordei hexastichi semina, progignere solet,
quare haudquaquam, si ad nutrimenti copiam, quæ in utris-
que his generibus inest, solummodo species, Tornense frumen-
tum nostro palinam præripet. Cum autem in australibus Fen-
niæ terris haud raro accidat, ut nivibus serius solutis tardius
adolescens ver, aut diurniores vere effusæ pluviae impedian-
te maturius aut saltem tempestive fieri possit hordei fatio,
perutile certe erit, si non totum agrum, attamen partem ejus,
tali conserere semine, quod, serius licet terræ ingestum, ce-
lerius tamen ad maturitatem festinet. Sæpius enim malo eve-
nit fato, ut lætissimæ segetis spem una nocte abripiat intem-
pestivum autumnale frigus, vacuas frugum spicas vel diligen-
tissimo relinquens aratori, unde fit, ut non solum uno anno
penuria hordei laboret, verum etiam posteriori, quod agris
committat, semine prorsus careat vel id aliunde sibi compara-
re necesse habeat. Quod malum ad partem evitabit providus
ille agrorum cultor, qui hordeo australi diffidens boreale ge-
nus non prorsus respuit. Neque alterum commodum huic
utilitati addi non possit. Cum nempe diutina tempore verno-
siccitas agros nonnumquam ita affligat, ut permulta hordei
domi nati emoriantur germina, quæ humida dum fuit terra-

suc-

succreverint, quod citius progerminandi morem didicit hordeum boreale, torrida adventante tempestate, superficiem terræ jam densioribus supertexit herbis, quæ vernum retinent madorem & ab illo humectatæ celerius, quam rariora fata, cum crescunt tum ad maturitatem pervenient. Sed manum de tabula. Meliora futuri temporis docebit experientia.

Corrigenda.

Pag.	3, lin. 9 <i>pro:</i>	coltur	leg. colitur.
—	— 1. 26 <i>pro:</i>	Pensylviana	leg. Pennsylvania.
—	— 1. 27 <i>pro:</i>	humiliorem	leg. humilius.
Pag.	4, l. 19 <i>pro:</i>	demonstrato	leg. demonstrabo.
—	— 1. 26 <i>pro:</i>	Sociatatis	leg. Societatis.
—	— 1. 27 <i>pro:</i>	erit	leg. erat.
Pag.	5, l. 2 <i>pro:</i>	habebant	leg. haberent.
Pag.	6, l. 3 <i>pro:</i>	S xto	leg. Sexto.
Pag.	7, l. 26 <i>pro:</i>	quem	leg. quam.
Pag.	9, l. 28 <i>pro:</i>	Soc.	leg. Acad.
Pag.	12, l. 20 <i>pro:</i>	celealibus	leg. cerealibus.
Pag.	13, l. 31 <i>pro:</i>	des	leg. der.
Pag.	14, l. 6 <i>pro:</i>	effundentur	leg. effundantur.
Pag.	15, l. 18 <i>pro:</i>	6, 6	leg. 8, 6.
Pag.	16, l. 28 <i>pro:</i>	theile	leg. standiheile.
Pag.	18, l. 4 <i>pro:</i>	fontes	leg. fontes.
Pag.	24, l. 19 <i>pro:</i>	foliorum	leg. foliorum.
